



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS.

176.

28

TRANSACTIO
NIBUS. 1658, 7.

FAVENTE D. T. O. M.
CONSENSU AC DECRETO
INCLYTI, NOBILISSIMI ATQUE
EXCELLENTISSIMI JURECONSULTORUM
ORDINIS IN ANTIQUISSIMA AC LONGE
CELEBERRIMA HEIDELBERGENSIS
ACADEMIA.

AUSPICIIS
DN. HENRICI DAVIDIS
CHUNONIS
JCTI, ET JURIUM PROFESSORIS
PRIMARII CELEBERRIMI, ACADEMIAE
PROCANCELLARII,
PRO CONSEQUENDIS
SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS.

Publico Eruditorum examini censuraque subjicit
JOANNES A SANDEN,
GRONINGA FRISIUS.

Ad diem 6 May horis locoque solitis.

HEIDELBERGÆ,

Typis AEGIDI WALTERI Acad. Typogr. Anno M. DC. LVIII.

**NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, SPECTATISSIMIS
CLARISSIMISQUE VIRIS AC DOMINIS.**

D. JOHANNI SCULENBORCH.

Reipubl. Groninganæ Exsenatori, nunc vero
nomine Provinciæ Groning. Omlandiæ, in confessu Illustr. ac
Præpotent. DD. Ordinum Generalium Fœderati Belgij Asses-
sori dignissimo, cognato suo ævitemnū suspicioendo.

D. GERARDO Ten BERGE. J. V. D. Respubl.


ejusdem Senatori, Academiæ Provincialis Curatori & soci-
tatis Indiæ Occidentalis Directori Fidelissimo. Avunculo suo
perpetim colendo, Venerando.

D. FRANCISCO JUNIO. F. N. I. V. D.

Ejusdemq; facultatis in Illustri Illustrium,
Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academiâ Professori Ordin-
ario, olim Præceptorí suo ac Fautorí maximè colendo.

*Hanc inauguralem disputationem
Officiosè consecratam voluit*

CANDIDATUS.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS.
DE TRANSACTIONIBUS.

I.

Dicitur ostquam illum ac utilissimam transactionum materiam enucleare visum fuerit, primùm me opere pretium facturum existimo, si de origine ac compositione verbi transigere quicquam præmissam, quod ultro agere, transagere vel transadigere significat. Ceterum vel Generaliter vel Specialiter. In generali significatione qualemcumque negotij, terminationem & finitionem denotat, l. 229. ff. de V. S. ibique Goeddeum l. ordine 15. ff. ad municipal. l. i. in fin. ff. ad SCT. Tertullian. l. i. § 3. ff. de pact. l. ad tēp̄ius. 5. ff. de decurion. l. arbitrio. 18. §. dolo. ff. de dol. mal. Sic lis transfigi dicuntur, per jusjurandum inlitem. l. ejus rei 46. ff. de R. V. & transactum jurejurando negotium in l. admonendi 31. ff. de jurejur. Sicut etiam apud Tacitum Libr. 14. Annal. Gladio se ipsum transegit. Item in vita Agricolæ. In hujus sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum, pueritiam adolescentiamque transegit: Virgilium 9. Aeneiod. Sed viribus ensis adactus transegit costas. & Ciceronem, pro Quint. Quare quæ ratione Nevius suscepsum negotium non transegerit: e. bina vendiderit. apud cundem in orat. pro Roscio commed. Quid enim

A 2

enim

enim recipis mandatum si aut neglecturus aut ad tuum commodum conversurus es? Cur mihi te offers ac meis commodis officio simulato officis & obstat? recede de medio per alium transigam. Specialiter verò transactionis nomen sumptum, rei dubiæ litisve incertæ, nec dum finitæ decisionem significat. l. 1. ff. b. t.

II.

Rectè, in hâc posteriori significatione definitur: Transaction rei dubiæ aut litigiosæ, aliquo dato, retento vel promisso, conventa decisio. Hahn ad Wesemb. num. 2. Dicitur rei dubiæ, in eo differt à pacto, quia transaction semper est de re dubiâ, quod vero in l. si de certâ re. 31. C. b. t. pactum transactionis de re certa interponi, illud non de re indubitatâ accipendum, sed de una aliquâre, veluti fundo judicio petito, dato aliquo vel promisso intelligendum est. Pactum verò plerumquè de re certa & minimè dubiâ fit, sed non semper, quia aliquando de re controversâ ac dubiâ pacisci dicimur. l. postquam 4. C. de pact. Præterea in eo etiam transaction, à pacto differt, quod transaction, nullo dato vel retento seu promisso minime procedat. l. 38. C. b. t. l. cum ea 21. C. ood. Pactum verò gratis l. 1. ff. b. t. vel pretio, cum res certa & indubitata remittitur l. 6. §. 3. ff. de his. quinot. infam. l. 29. §. plectitur ff. dd. l. Jul. de adult. Transaction specialis est, quâlis aliqua terminatur. Pactum autem generale, ad omnia pertinens, de quibus negotij contrahendi transigendive causa consentiunt, qui inter se agunt. l. 1. §. 3. de pactis.

III.

Præmissa definitione transactionis, videamus quibus modis fiat. Fit vel nuda conventione, vel Aquiliana stipulatione, Nuda conventione veluti si quis paciscatur, ut certum quid accipiat, ut à lite recedat l. 28. C. b. t. l. 2. l. 15. ff. b. t. Aquilianâ stipulatione omnes obligationes antecedentes innovâtur, ipsaque perimitur per acceptilationem. l. 4. l. 6. l. 15. l. 40. C. b. t. l. 18.

5.

l. 18. ff. de acceptilat. l. 3. C. h. t. Cujac. s. Observ. 30. Hottom 3.
Obs. 18 Nam si acceptilatio subsequatur, quod necessarium
est. l. 4. l. ut responsum 15. l. sine causa 32. C. h. t. tunc actio omnino
tollitur, ut amplius institu non posit. d. l. 4. d. l. ut responsum 15. l.
19. C. eod. l. ult. C. si advers. transaction. in integr. min. rest. velit.
Finge: Cajus Sempronium in judicium vocavit & ducentos flo-
renos ab eo petyt, Sempronius debitum negat. Cum lis esset
incerta ac dubia, inter illos convenit, ut Cajus centum acci-
peret & à lite discederet: Cajus acceptis centum, verum alios
centum in judicio petere potest; quia transactione actio ipso jure
non interit, ut autem tollatur, Cajus ita stipulabitur, *Quod ul-*
tra illos centum mihi debes, daturum te mihi spondes? Et Sempro-
nius respondeat, *Spondeo;* & deinde Sempronius Cajum roga-
bit: *Habesne acceptum, quod novandi animo stipulatus es?* & Cajus
acceptum ferat. Transaction, scriptura interveniente vel non,
celebrata *l. sive apud acta. 28. C. h. t.* Secundâ horâ noctis *l. 20.*
C. h. t. Jurata. l. 41. C. h. t. l. 42. C. eod. Si sit transaction, & contra eam
factum, potest is, cuius interest, odio perjurii, utrumque con-
sequi, & restitutam pñnam, quæ pactis probatur inserta &
remum proprietatem & emolumentum, quod ex pactione vel
transactione illâ fuerit consecutus, & præterea, qui fidem rupit,
notetur in famiâ *d. l. 41.* Etiam pñna adjecta, valet: quod con-
sultius esse dicit, Paulus in *l. pacto convento. 15.* & *l. 16. ff. h. t.*
quoniam si placito transactionis non stet, pñna ex stipulatu
peti possit. Hoc modo. *Dabo tibi quinquaginta, ut à lite discedas,*
spondes ne igitur te à lite discessurum? & si non discedas, centum pñne
nomine dare *spondes?* ne quantitas stipulationis in incerto sit ac
necessè sit actori probare, quod ejus intersit. *§. ult. Inst. de V. O.*
nani interesse. non in jure, sed in facto consistit. l. quatenus. 24. ff.
de R. Iur. Facti enim veritas, tota in probationibus consistit. l. 94.
ff. de V. O. l. ult. ff. de præl. stip. Nec refert in judicio velextra/judi-
cium fiat. *l. sive apud acta. 28. C. h. t.*

IV.

Omnis transigere possunt, qui non prohibentur. Prohiben-
tur vero quidam natura, quidam iure. arg. l. 43. §. 1. ff. de pro-
curat. l. nec non. 28. ff. ex quib. caus. ma. &c. Natura, ut infan-
tes, furiosi & mente capti; nam in transactione consensus requi-
ritur, consequens igitur est, illos, qui nullo intellectu aut
animi judicio praediti sunt, transigere non posse l. 1. C. de fals.
monet. l. 14. ff. de offic. Pres. l. 5. l. 40 ff. de R. J. l. 1. §. 12. ff. de O. &
A. l. si ei. 2. §. 3. ff. de Iur. codicill. §. pupillus. Inst. de inut. stipul.
Corpore vero eger transigere non prohibetur. l. sanum mente.
27. C. h. t. Sine tutoris auctoritate, pupillus infante major aut
pubertati jam proximus, transigere prohibetur: etiamsi recte
paciscatur pupillus, ne, quod debet a se petatur, quia meliorem
suam conditionem facere ei etiam sine tutoris auctoritate con-
cessum est. l. contra 28. in pr. ff. de pact. transigere tamen non
potest, quia nec promittendo se obligare, nec remittendo alios
liberare potest. l. obligari. 9. ff. de auct. tut. sine quibus transactio
non subsistit, ut dicitur, in l. 38. C. h. t. & remissio continet spe-
ciem alienationis & ad ius administrandi pertinet, quod pu-
pillis denegatum esse certi & explorati juris est. Procurator si
speciale mandatum habeat, transigere non prohibetur. c. qui
ad agendum de procurat. o. L. 17. §. fin. l. 34. §. 1. ff. de
jurejur. Wesemb. h. num. 4. & qui speciali mandato caret,
non transigit, quia is tantummodo agendi, non decidendi po-
testatem habet. l. 7. C. h. t. l. sed si. 13. ff. de pact. l. 86. ff. de solu:ion.
Lege prohibentur transigere, ut prodigi, quibus bonis inter-
dictum est, nec promittendo obligari possunt. l. 6. ff. de V. O.

V.

Recte tutores super rebus pupillorum transigunt. l. 46. §. 7. ff.
de administ. tutor. l. 54. §. 5. ff. l. 56. §. qui tutelam 4. ff. de furt. deci-
dendi, inquam, non diminuendi causa transigere debent all.
l. 46. §. 7. non aliter tamen quam si ius illorum valde dubium &
omnibus

**omnibus aliis probationibus deficientibus, obscurum sit. l. 35.
de jurejur.** Idcirco optimè dicit Gail. 2. *Observ. 72.* Tunc
demum valere transactionem tutoris, quando de justitiâ plu-
rimum dubitatur: aut si forte sumptus in exigendo & lite pro-
sequenda faciendi, excussuri sunt ipsius debiti quantitatem:
nam in dubio litis exitu, præstat partem accipere, quam pericu-
lum amittendi totius subire. Decreto opus erit, si transactionis
causa tutor rem immobilem in alium transferre velit, imo si
quam mobilem, ex numero earum, quæ recensentur, in l. lex
qua 22. C. de administ. tut. Bacchov. ad prim. part pandet. h.t. c. 3.

VI.

Videamus etiam de patre, an posit transigere super bonis
filii. Super bonis filii emancipati pater transigere prohibetur
l. de refiliorum. 10. ff. h. t. arg. l. 11. C. de jur. deliber. quia filius
emancipatus extraneorum numero habetur §. 3. *Inst. de hered.*
qual. & diff. & de rebus extranei jus transigendi, sine mandato
nemo habet *arg. l. 17. §. procurator. ult. ff. de jurejur.* Si filius sit
in potestate, tunc distinguenda sunt peculia. In peculio ca-
strensi & quasi castrensi, filius familias vice patrisfamilias fun-
gitur, ideoque hîc patri potestas non tribuitur. *l. 2. ff. ad S C T.*
Macedon. Peculum profectum pleno iure patri acquiritur
igitur de eo dubium non est, quin recte transigat. Quid si ha-
beat bona adventitia, utique super iis potest transigere, quod
etiam tutor potest, nam hoc absurdum videretur plus juris &
auctoritatis tutori quam patri tribui, qui insuperusum fructum
habeat & legitimam administrationem, pro qua nec ultra oner-
atur cautione: quod in l. ult. C. de bon. quæ lib. constitutum re-
verentia paternæ pietatis & juris veteris, quo proprietas quo-
que bonorum illorum ad patrem pertinebat. Bacchov. in prot.
h. t. cap. 3. num. 3. & in not. ad Treutt. disput. 7. th. 3. lit. a. Dis-
sentit post Cujacium in d. l. 10. h. t. Busius. 2. subtil. 1.

VII.

**Objectum sive materia transactionis sunt res dubiæ & liti-
giosæ**

giosæ Wesemb. hic. num.. 5. Resdubiæ, quæ adhuc non sunt in lite, sed de quibus lis timetur l. 1. ff. b.t. l. 2. C.eodem, Res litigiosæ, sunt, quæ in judicium sunt deductæ. Hahn ad Wesemb. num. 5. Transactionem quædam respuunt vel naturâ suâ vel juris prohibitone. Naturâ suâ, ut res certæ, & res judicatæ. Juris prohibitione, controversiæ quæ incidunt, deeo, quod in testamento relictum est, nisi inspectis testamenti verbis & de futuris alimentiis quavis ultima voluntate relictis, licite non transigitur absquæ causæ cognitione Prætoris. Nulla transactio est, nisi de re litigiosa, consequens est igitur de rejudicata transigio non posse, ut pote quæ finem controversiarum pronuntiatione judicis accipit, quod vel condemnatione vel absolutione contingit. verb. l. i. ff. de R. lud. & talis transactio nullius est momenti. l. eleganter. 23. §. i. ff. cond. indeb. l. 32. C. h. t. Sed si suspensa sit solemnitate appellationis, aut in integrum restitutioonis, tunc & transactio valida est. d. l. si causa 32. C. h. t. quia per appellationem res eò deducitur, quasi judicata non esset & præcedens pronuntiatio interim pro extincta habetur. Procedit etiam transactio, post rem judicatam, si an judicatum sit vel si appellatum fuerit aut appellari potuerit, dubitetur. l. 7. ff. b.t. l. post rem 11. ff. b. t. Super quæstione status recte transigitur, l. ult. C. h. t. neque videntur transactiones propterea titubare, quod pro conditione servili aut adscriptitia confectæ sint. d. l. ult. Clariss. Dom. Wissembach. ad pandeot. Disp. x. th. VIII.

VIII.

De controversiis, quæ ex testamentis proficiuntur, neque transigi aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti. l. 6. ff. b. t. l. 1. §. 1. ff. testam. quemadm. aperiant. Bart. & DD. in d. l. 6. Sanden. lib. 4. tit. 5. definit. 15. & alii. Has cerationes dant. 1. id statutum esse odio testamenta occultantium & inde lucrum capientium. 2. quia publice interesse supremas hominum voluntates exitum habere l. 5. ff. testam. quemadm. aper. quæ

9

quæ alias per hujusmodi transactiones circumvenirentur. Bacchov. *Disp. 7. th. 4. lit. e.* Quæritur, si transigentes inspectioni testamenti renuntiaverint, an nihilominus non inspectis testamenti verbis, transactio futura sit inutilis? Negatur ab Accursio, ex eâ ratione, quod unicuique liceat favori ac juri pro se introducto renuntiare. *I. pen. C. de pact.* Rejecta Accursii sententiâ, contrarium tuebor I. quia lege prohibente, si quæ facta fuerint non solum in utilia, sed pro infectis etiam habentur. *I. 5. C. dell. I. 6. C. de pact.* II. quia tabularum inspectio in eorum odium, qui testamenta occultant, introducta est, nec tam in favorem transigentium, quam testatoris, cui favori alius renuntiare non potest. Sic SCTo Macedoniano filius familias renuntiare non potest, quia non tam in ipsius, quam patris favorem introductum est & in odium fæneratorum. *I. 1. ff. ad. S CTum. M a c e d . C h r i s t i n . v o l . I . d e c i s . 1 4 . n . 5 . a c . 6 .* Ita Bartol. Bald. Salicet, Castrens. Angel, Iason in *I. 6. b. t.* Quid si renuntiationi juramentum accesserit, dicendum non co magis transactionem valere, quoniam nullus actus, Jure Civili invalidus roburà jurejurando capit. *d. I. 5. C. dell.* vide Bacchov. *Disp. 7. th. 1 v. lit. E.*

IX.

Super alimentis in testamento relictis, absquè auctoritate Prætoris *I. cum hi 8. ff. b. t.* transigi non potest, & ratio redditur in *princ. d. I. 8.* sumpta à qualitate & conditione hominum egentium, qui facile contenti modico præsentia alimenta remitterent: cui accedit, favor ultimæ voluntatis, ne ultima voluntas pia, quæ prospicere voluit tenuitati egentium eludatur: Quod idem in ijs, qui sunt locupletes. *I. 8. § 7. ff. b. t.* Distinguendum censeo in ter alimenta præterita & futura. De alimentis præteritis etiam inconsulto Prætore transigipotest, quia præterita alimenta alimenta esse disiunt, postquam vita aliunde sustentata, & manet purum debitum, super quo nihil impedit, quo mi-

B nus transiga

nus transfigatur, in futurum, non in præteritum quis esurire potest Perer. ad h.t. C. num. 8. & 11. Donell. in d.l. 8. num. 9: Clarissim. Dom. Wissembach ad pandect. Disp. x. th. x. Defuturis inconsulto Prætore non licet. l. 8. C. h. t. Debet autem Prætor rem cognoscere, adesse aut interesse negotio & transactionem sine causæ cognitione approbatae non sufficit. d.l. 8. §. si prætor. 17.

X.

Legatis alimentis cibaria & vestitus & habitatio debetur, inquit l. 6. & 7. l. ult. ff. de alim. & cibar. leg. quia sine his ali corpus non potest, cætera, quæ ad disciplinam pertinent legato non continentur, nisi aliud sensisse testatorem probetur d.l. 6. & 7. Hoc posito, qui ergo fit quod Ulpianus in d.l. 8. §. qui transfigit 12. neget eum, qui transfigit, de alimentis non videri neque de habitatione, neque de vestiario transfigisse: Dicendum, propter strictam transactionis naturam, in testamentis enim plenius voluntates interpretandæ sunt l. 12. ff. de R. Iur. Cujac. in d.l. 8. Goeddæus. in l. 43. ff. de V. S. Mijns. 3. Obs. 12. Bronchorst. i. ant. 47. Cl. Dom. Wissemb. Disp. X. tb. 19. Arbitratus Prætoris vel de universis alimentis vel de parte eorum transfigi oportere plus quam manifestum est. l. 8. §. arbitratus. 10. ff. h. t. potest & quis de una aliquare, veluti de vestiario, calceario arbitrio tamen Prætoris transfigere d.l. 8. §. 13. & 14. sicut & de parte alimentorum d.l. 8. §. arbitratus. Nec obstat, quod legatum pro parte repudiari non possit. l. 4. ff. de leg. 2. l. 38. ff. de legat. i. nam non repudiat legatum, qui de parte transfigit, sed aliud pro alio accipit. Sive igitur in menses singulos, sive in dies sive in annos fuerint relieta, an usque ad certos annos, nihil interest. d.l. 8. §. sive igitur 3. ff. h. t.

XI.

Excutienda h̄ic occurrit, celeberrima ista Diocletiani & Maximiani constitutio, in l. transfigere. 18. C. h. t. in hæc verba, Transfigere

11

sigere vel pacisci de crimen capitali, excepto adulterio, prohibitum non est, in alijs autem publicis criminibus, quæ sanguinis pænam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem. Primum igitur videndum quomodo crimina publica sumantur. Crimina publica capitalia vel late vel strictè accipiuntur. Latè sunt, quæ pænam capitii vel naturalis vel civilis ingerunt §. 2. Inst. de publ. judic. l. 103. ff. de V.S. Strictè, quæ mortis vel sanguinis pænam ingerunt. l. 21. ff. de pæn. Breviter his præmissis, ad ipsam constitutionem accedendum; Cujus duæ sunt partes; Prima est de criminibus capitalibus, Altera de non capitalibus, quarum prior est. Prohibitum non est transigere vel pacisci de crimen capitali. cuius rationem habemus in l. 1. ff. de bonis cor. qui ant. sent. mortem sibi consicerunt. quoniam ignoscendum sit ei, qui sanguinem suum, qualiter qualiter redemptum voluit. Quæ verba generalia sunt, id circo, neque tempori, neque personæ adstricta, quantum ad tempus attinet, transigere tam ante quam post institutam accusationem licet, quia transactio non solum de ejusmodi controversijs fit, quæ jam in judicium deducuntur, sed & de quibus lis futura timetur l. cum te. C. h. t. vel quia eadem est magnitudo periculi mortis, sive accusatio immineat sive pendeat. Quantum ad personas non solum reo sed & accusatori transigere licitum est. Neque reus transigens pro convicto habetur. l. ult. ff. de prævar. in consequentiam actori ab accusatione desistere impune licet: cum alioquit transactionem nunquam admissurus sit & ita futurum, ut miseris reis spes redimendæ salutis suæ præcidatur. Non quidem, reus liberatur pecuniari datus adversario, sed ei tantum ignoscitur d. l. 1. Bacchov. ad Treutl. Disp. 7. th. 5. lit. A. In tantum ut ne pro convicto habeatur, qui in sanguine delatorem corruptit. d. l. ult.

XII.

Facta transactione, præjudicium causæ publicæ non fit, ne

B 2 publica

publica coercitio, privata pactio tollatur l. illud s. ff. de pac*t.*
 dotal. nec patitur publicæ disciplinæ vigor, ut delicta manent
 impunita. l. 51. §. estimatio. ff. ad. l. Aquil. l. 9. §. quod illicite. ff. de
 publ. & vectig. sequitur igitur reū aliorū quoq; accusationi ob-
 noxium manere, cum publicorum judiciorum accusatio cui-
 vis è populo pateat. §. 1. Inst. de publ. judic. Sed, dices, transacti-
 onem non minorem habere auctoritatem, quamrem*judi-*
ciam l. non minorem 20. C. h.t. Responderi potest, compara-
 tionem illam transactionis cum re judicata, non in omnibus
 procedere. I. de omnibus non capitalibus judicari, transigi vero
 non potest. II. executionem habent res judicatae non etiam
 transactæ. III. sententiâ judicis tollitur crimen, non etiam tran-
 sactione IV. Res judicata pro veritate habetur l. 207. ff. de R. Jur.
 haec nequaquam. V. Sententia fertur in invitum. l. 83. §. i ff. de
 V.O. Transactio autem consensu constat. VI. Sententia pari-
 tationem*judicati l. 8. C. de R C.* Transactio autem non pro-
 ducit actionem sed exceptionem tantum. l. 28. C. h.t. Clariss.
 Domin. Wissemb. Dis*p. xxiv. th. xxxv.* Comparantur eatus,
 quatenus neutra temere rescindi debeat. Nullo accusatore
 amplius existente, queritur an facinus impunitum relinque-
 tur? Respondeo quod Magistratus ad huc inquirere in crimen
 & in facinerosos animad vertere possit. per l. 13 ff. de Off. præsid.
 l. 1. C. de custod. rear. Finge. Titius interfecit Sempronium, &
 cum Sempronius filium haberet, Titius transagit de homici-
 dio patris sui. Hoc casu licita transactio est, homicidium
 enim capitale crimen & de eo transigere licitum est: Filius
 Sempronij, postquam semel in transactionem descendit, à
 transactione resilire & Titium accusare non potest; jam quæ-
 ritur, an propinqui occisi Sempronij vel Magistratus Titium
 accusare possint? Quod dicendum videtur, nam transactio
 cum Sempronij filio inita, prodest Titio, quoad actionem
 filio competentem, non quoad actionem propinquis aut
 Magistratui

Magistratui competentem. Bart. in d. l. transigere num. 18. Bald. ade eandem l. num. 27. Marant. in Spec. in 6. part. de ord. jud. num. 58. & hæc est communis DD. sententia per l. 3. §. ult. de Accusat. l. 5. §. 2. Ad l. juj. de vi publica nisi abolitio intercesserit. l. 12. §. 1. de Accusat. l. 1. C. de Abolit. Duxi, de ijs criminibus transigere licere, quæ mortis pænam ingerunt, hinc apparet de fustigatione transigi non licere, quia fustigationis pæna capitalis non est, sed à capitali secernitur l. 2. ff. de publ. jud. Novell. 134. c. 13. Sic etiam deportatio, toto gradu à mortis pæna distinguitur. l. capitalium. 28. in fin. pr. ff. de pen. idcirco super criminibus, cuius pæna deportatio est, illicita est transactio.

XII.

Explanata parte primâ d. l. transigere. 18. nunc mihi ad exceptionem progrediendum censeo, quam Imperatores addunt, his verbis. *Exceptio adulterio.* De exceptionis ratione, inquit, Antonius Matthæus sollicitus non sum, propter l. non omnium 20. ff. de ll. Sed interpretes alias rationes dant. I. Quod transactio super adulterio inita, speciem quandam lenocinij præ se ferebat l. ex lege 2. §. 1. & 2. ff. ad l. Jul. de adult. l. 29. ff. eodem. Cujac. 19. Observ. 39. Perez. ad b. tit. C. num. 14. II. quia de conominatim l. Julia pacisci vetabat l. 10. C. ad l. Jul. de adult. l. 29. §. 2 ff. eod. Trutl. Disp. 7. th. 5. lit. c. Donell. add. l. 18. Cujac. 6. Ols. 11. III. ut magiscives Romani castitati matrimoniorum studerent. Cum solum adulterium, a l. 18. excipiatur, an de raptu transigere licet, quæritur? & dicendum, quod liceat, quia crimen capitale est, & ultimo supplicio punitur. l. 5. §. 2. ff. ad l. Jul. de viri publ. l. unic. verf. quod magis. C. de rapt. virgin. velquia nusquam reperitur vetitum, de hoc crimine transigere, tamdiu enim standum regulæ, quamdiu probetur exceptio. arg. l. 17. C. de testament. Ant. Matth. de crimin. lib. 48. tit. 19. num. 10. & 11. Quod ad stuprum attinet, nego de hoc crimine transigere licere, quia pæna hujus criminis capitalis non est. § 4. Inst. de

publ. jud. Nec de incestu transigere licet, quia & jure nostro pœnâ capitali non vindicatur. l. s. ff. de quest. l. 6. & Auth. incestas. C. de incest. & inut. nupt. Nov. 12. c. 1. Cl. D. Wissemb. Disp. X. th. 15. De παιδεψίᾳ transigere licitum videtur, quoniam brutescentes eum jumentis, ad abolendam memoriam, tam horrendi criminis comburi solent, arg. levi.. 18. vers. 23. & seq. Exod. 22. vers. 19. c. reos. §. qui cojerit. caus. 23. quest. 5. c. mulier. caus. 15. quest. 1. vid. Damhoud. in practi crim. cap. 90. In quo, non solum effectus, sed etiam affectu sine effectu, punitur, pœnâ verò judicis arbitrariâ. Gail. 1. de pac. publ. cap. 14. num. 26. Kitz. in syn. matrim. c. 3. th. 1. lit. K.

XIV.

Visis hisce, quæ ad primam d. l. 18. partem pertineant, restat igitur secunda, quæ sic habet. In alijs autem criminibus publicis quæ sanguinis pœnam non ingerunt transigere non licet. ratio, quoniam in his non occurrit tanta miserationis ratio quam in ijs, quæ sanguinis pœnam ingerunt. d. l. 1. ff. de bon. eor &c. Ult. ff. de prævar. Bacchov. in prot. pag. 727. num. 15. In hâc posteriori parte Impp. solummodo mentionem transactionis faciunt, an igitur hîc pacisci liceat, quæritur? quod negandum videtur, nam quod in priori expressum est, id etiam in posteriori ex mente & sententia legislatoris vetitum censetur arg. l. scire. 17. ff. de ll. l. 134. §. 1. ff. de V.O. Paul. r. sent. 1. §. de his rebus. Ant. Matth. de crimin. lib. 48. tit. 19. num. 15. Si post litis contestationem transactio vel pactio interposita sit, actor, si non impetrata abolitione ab accusatione desistat, incidit in SCTum Turpilianum, nec potest, quod ei transactionis causa promissum est, petere. l. 1. §. 7. & et. ff. ad. SC. Turpill. l. si quidem 9. C. de contrah. stipul. Reus vero transigens, pro confessio habetur l. ult. ff. de prævar. l. 4. ff. de jur. fisc. l. 29. ff. eodem. & quingentos solidos fisco inferre jubetur. l. imperatores 34. ff. eod. Non etiam prejudicato habetur, hinc est quod judex in l. 2. C. de abolitione jubetur.

yubetur, adhuc in crimen inquire & sententiam ferre. Nec pactum gratuitum efficit, ut reus pro confessu habeatur licet, post litem contestatam, paetus sit. *l. 4. ff. de. Iur. Fis.*

X V.

Dicitur in *d. l. 18.* ab Impp. in alijs publicis criminibus, an ergo de privatis criminibus, quæ sanguinis pñnam non ingerrunt transactio inita valet? Adhibita distinctione respondendum, utrum Civiliter an Criminaliter, de privatis delictis agatur. *l. ult. ff. defurt.* Si civiliter agatur, in privatis delictis, pactio & transactio valet, & actori amplius agere volenti, exceptio pacti & transactionis obstat. *l. 7. ff. de condic. furt. l. post decis. onem 13. C. eodem.* Si vero prætio quis paetus, actori quidem exceptio transactionis obstat, cæterum pecuniâ datâ confessum sequetur infamia. *l. athletas. 4. §. fin. l. 5. l. 6. §. paetusque 3. ff. de his qui not. infam.* Agente actore de furto criminaliter, aut alijs privatis delictis, juxta *l. ult. ff. de furt.* & *l. ult. ff. de injur.* transactio est illicita, sed reus interim pro confessu habetur. *l. ult. ff. de prævar.* Idcirco, quod Imperatores statuunt, in criminibus non capitalibus, transactionem illicitam esse: illud non intelligendum, quatenus de privatis transactio sit licita, sed eatenus, quatenus de ijs agitur civiliter. Accursius. Bartol. Jason. Alciat. & Fachin. *l. 1. controv. g.*

X VI.

Tandem superest ultima clausula *d. l. 18. sc. transigere non licet, citra falsi accusationem.* Excipitur hic crimen falsi de omnibus autem criminibus, sanguinis pñnam non ingerentibus transigere non licet, excepto crimine falsi: sicut à prima parte, *d. l. 18.* excipitur adulterium, sic in posteriori excipitur crimen falsi. Cujac. *σ. Observ. 11.* Borcholt. *de transaction. c. 3. num. 92.* & seqq. Perez. *adh. tit. C. num. 17.* Fachin. *l. controv. 6.* Delrio *add. l. transigere. num. 141.* & seqq. Pac. *num. 47.* & seqq. Mornaç. *ad fin. d. l. Govean. l. variar. controv. cap. 30.* Falso
verbum

verbum *citra*, ambiguè sumi, cum pro eo, quod idem significatac sine, veluti in l. 3. C. de usur. l. fin. ff. de pub. jud. tum etiam pro prater, ut in l. fin. ff. de column. quà posteriori significatione etiam hīc sumitur. Hodie dispositio d. l. 18. inutilis est & ferè cessat, cum soli procuratori fisci, non cuivisè populo, persecutio publicorum criminum competit. Quod Princeps crimen condonet, id autem non sit, nisi placatis prius amicis. Gomelius. 3. var. resol. 3. num. 50 & seqq. Clarus lib. 5 §. fin. quest. 58. Tulden. ad h. tit. C. num. 6. Groenveg. dell. ab rogat. add. l. 18. Anton. Matth. de crim. ad lib. 48. tit. 20.. cap. 4.

XVII.

Transactionis effectus est rebus dubijs & litibus incertis finem imponere. l. 10. C. h. t. nec minorem habet auctoritatem transactio, quam res judicata. l. 20. C. h. t. quam jusjurandum, quod maximum dicitur remedium expediendarum litium. l. admonendi 31. ff. de Jurejur. Bacch. in prot. cap. ult. num. 1. h. t. quare nec Rescripto Imperiali, causas vel lites transactionibus legitimis finitas resuscitari oportet. l. causas. 16. C. h. t. nequè sub prætextu instrumenti postea reperti, transactionem bonâ fide finitam rescindi, jura non patiuntur, inquit, l. 19. C. h. t. Wesemb. ad h. tit. num. 5. Quanquam initam ex falsis instrumentis retractari jubet. l. pen. C. h. t. & hoc obtinet in rejudicata tot. tit. C. si ex fals. instrum. vel testim. judic. sit. Voluntate tamen utriusquè partis, causa ex integro agi potest. l. 14. C. h. t. l. 35. ff. de R. Jur. & illud pro explorato habendum, transactionem ijs tantum prodesse & nocere à quibus inita est, non verò alijs. Finge. Si quis duos curtores habuerit & cum uno transegerit, alterum convenire non prohibetur. l. 1. C. h. t. Nobilis hīc occurrit, quæstio. An beneficium l. 2. C. de rescindenda vendit. in transactionelocum habeat? Quod mihi negandum videtur l. Lucius 78. §. fin. ff. ad. S C T. Trebell. l. in summa 65. §. 1. ff. de cond. indebit. l. 10. C. h. t. nam transactio ad lites finiendas comparata est.

est l. fratri*s* 10. C. h. t. & dixi transactionem non minorem auctoritatem habere, quam rem judicatam l. non minorem 20. C. h. t. ad res *judicata* prætextu *enormis* læsionis non retractatur. l. 2. C. de R. Iud. Idem quoque perspicuè probat. l. 19. C. h. t. In quâ dicitur transactionem rescindi non posse, sub prætextu instrumenti de novo reperti; & tamen evenire poterat, ut ex instrumento noviter reperto, transigentis læsio ultra di-midium appareat. vid. Afflct. decis. 220. Donell. in d. l. 2. num. 61. Mornac. in l. 9. C. de transact. P. Matth. ad l. 68. ff. de R. l. num. 41. & seqq. Bronch. 2. antinom. 58. Dissent. post Bartol. in d. l. 2. & l. 30. de V. O. Costal. in d. l. 65. §. 1. Alciat. in l. 143. ff. de V. S. Welsemb. bic num. ult.

XVIIIX.

Transactio dolo malo celebrata, rescinditur l. 4. l. 19. C. h. t. l. si quis 30. ff. de V. O. l. dolo. 6. C. de inut. stipul. Cæterum qui dolo adversarij deceptus, in hoc, ut transigeret; si actore est, veluti, si solummodo pactus est, se non petiturum, instaurare potest actionem, & reum de pacto excipientem, replicatione doli mali removed. l. 19. l. creditoris. C. de pact. Veteriautem actione sublata, veluti cum actor interposita stipulatione Aquiliana & secutâ acceptilatione reum liberaverit, poterit tunc actor intra tempus constitutum actionem de dolo instituere d. l. 4. d. l. 19. Reo circumvento, si id quod transactionis causa promisit, nondum prætitit, competit, si conveniatur, exceptio doli mali: si vero præstitit, utitur conditione sine causâ l. 1. ff. de condic. sine caus. Donell. add. l. sub prætextu 19. & l. pen. C. h. t. Et nemo ob dolum suum consequitur, ut transactio dolo malo inita, invito adversario rescindatur. l. transactione. 30. C. h. t. A Majore annis 25. transactio jurata servari debet, alioqui hisce incommodis urgetur. I. notatur infamia. II. ut vœnam conventam solvat & tamen actionem perdit. l. si quis major. 41. C. h. t. Constitutio Arcadij & Honorij nominatim,

C.

de

de majore. 25. annis concepta est, quæritur an adminiorem 25.
annis extendenda sit? & dicendum quod non: quoniam hæc
constitutio l. 41. C. h. t. sit pænalis, & fere in omnibus pænali-
bus & ætati & imprudentia succurritur. l. 108. ff. de R. Iur. l. 155.
§. 2. ff. eodem. c. in panis. X. de R. Iur. in 6. Si verò transactiō sit
invalida, juramento tamen confirmata, quæritur antalis tran-
sactio Jure civili per jusjurandum confirmetur? Statuendum
quod non. l. si ex falsis. C. h. t. l. s. C. de legib. l. 7. §. & generaliter
16. ff. de pact. l. 112. §. Divi. fin. ff. de leg. 2. Transactioni clausula
stipulationis Aquilianæ subjici solet: hoc modo. *Omnia esse
amicabiliter transacta & terminata, actoremque nihil amplius ab
eo, cum quo agebat petiturum,* Hæc de transactionibus dixisse
sufficiant.

Deo Laus & gloria.



COROLLARIA.

AN prorogatio jurisdictionis de loco ad locum ex ratione juris
civilis defendi possit? Affirm.

An Academij vi AUTH. HABITA. C. ne filius pro patr. merum
imperium competit? Neg.

An legatum, sub tali conditione relictum, si legatarius pontificiam
religionem amplexus fuerit, conditione non impleta legatario
debeatur? Affirm.

Dolus dans causam contractui stricti juris, contractum ipso jure non
vitiat.

Imperator Auream Bullam abrogare nequit.

An jure Canonico merum imperium delegari possit? Neg.

F I N I S.

b07

ULB Halle
003 252 035



3

5b.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



O FURIDICA
URALIS. 176.
28

ACTIO. U S. 1658, Y

D. T. O. M.
C DECRETO
LISSIMI ATQUE
RECONSULTORUM
LISSIMA AC LONGE
HEIDELBERGENSI
EMIA.

ICII
CI DAVIDIS
NONIS
M PROFESSORIS
RRIMI, ACADEMIAE
CELLARI,
E QUENDIS
IE JURE HONORIBUS
DOCTORALIBUS.
mini censuræque subjicit
A SANDEN,
FRISIUS.
horis locoque solitis.
BERGÆ,
Acad. Typogr. Anno M. DC. LVIII.